

excellentiā, ut ne ad stuporem perduceret hominum mentem. » Sic et S. Dionysius in *epistola ad S. Joannem*, dicit se ita ad aspectum et majestatem Virginis obstupuisse, ut nisi fides eum docuisset unum esse Deum in caelis, utique hanc Virginem deam esse credidisset; et Honorius in *Sigillo Mariae*: « Christus, ait, fuit palma in cruce, quia per eam homo adipiscitur victoriae palmam; qui assimilata est statura, id est altitudo gloriæ Mariæ, quia sicut ipse est Rex caelorum, ita et ipsa regina est angelorum; et *ubera tua botris*, id est merita tua assimilata martyribus, qui sicut botri pressi sunt passionibus. » Rursus statura palmaris B. Virginis fuit recitatio bonae intentionis, et sanctæ operationis directio, per quam instar palmæ crucis Christi triumphat de malignis spiritibus, ait Hailgrinus.

Plenissime Alanus: « Beata Virgo (quasi palma) asperum habuit corticem, quia quantum ad secularem honorem fuit infirma, quantum ad divitas temporales pauperula; sed firmitatem habuit roboris per constantiam mentis. Erecta fuit stipe, quia suspensa in cœlum animi intentione, pulchra in culmine in virginitalis et humilitatis celsitudine, delectabilis in flore, quia sine concupiscentia concepit florem campi et lilium convallium. Dulcis in fructificatione, quia sine pona peperit mundi Redemptorem. Hæc nobis proponitur in signum victoriae, et exemplum, ut sicut ipsa vicit mundum, peccatum, diabolum, ita et nos vincamus iuxta posse nostrum. *Ubera Mariæ* dicuntur virginitalis et humilitatis, in quibus delectatus est Christus, quæque nobis proposita sunt ad informandum et instruendum, ut sequamur vestigia ejus. Et comparantur *botris*, quia botrus in flore parit odorem, in fructu dulcedinem, calefacit etiam et reficit: sic virginitalis et humilitatis Virginis fragrant odore bonæ opinionis, fructum dulcedinis propinquant, calefaciunt in amorem, et reficiunt ad spiritualem satietatem. »

Porro hæc omnia quæ de Ecclesiæ, anime sanctæ et Deiparæ forma et pulchritudine, ejusque membris, puta pedibus, feritibus, umbilico, ventre, uberibus, collo, oculis, naso, capite, coma, statura, a versu 1 hucusque dicta sunt, et deinceps dicuntur, mutato nomine adaptata humanitati in Christo a Verbo assumptæ. Hæc enim prima et intima est Verbi sponsa, quæ Ecclesiato, animas sanctas et Deiparam eadem Verbo despondet, uti dixi in *Proœmio*, cap. II.

VOX CHORI

ADOLESCENTULARUM.

VERS. 8. *Dixi*: ASCENDAM IN PALMAM, ET APPREHENDAM FRUCTUS EJUS: ET ERUNT UBERA TUA SICUT BOTRI VINEB: ET ODOR ORIS TUI SICUT MALORUM.

DIXI: ASCENDAM IN PALMAM (SYRUS et ARABICUS, per palmam, ad carpentos ejus dactylos), ET APPREHENDAM FRUCTUS EJUS: ET ERUNT UBERA TUA SI-

CUT BOTRI VINEB: ET ODOR ORIS (Septuaginta, Paganinus et Vatablus, *nasi*; SYRUS, *facies*; Hebraeus enim *aph nasum, faciem et os* significant) TUI SICUT MALORUM. — Septuaginta, sicut pomorum. Pro fructus, hebraice est *סמסמין* *samsamin*, quod Septuaginta vertunt, *cacumina*; Arabicus, *altitudines*; Aquila, *elatus*; Symmachus, *ramos*; Vatablus, *palmites*. Omnia hæc eodem redeunt: significantur enim elata, sive fructus dactylorum a cacumine ramorum palmæ dependentes, item fructus vitis maritate cum palma, puta uvæ et racemi, ut vult Aben-Ezra, Alcazar, item Delrio et alii. *Ubera* recte comparantur *botris*, quia tumida, succulenta, rotunda; hinc majores botri vocantur humasti, id est *botris* sive *vaccæ ubera*: tam grandia sunt ubera matrum et nutricum mammosarum, qualis hinc dicitur Synagoga. *Odor oris* vel *nasi* est halitus sive anhelitus, qui naso et ore efflatur: Fragrantia, ait Theodoretus, gratam suave olet uti mala, tum punica, ait S. Gregorius: horum enim in Canticis ebraea est mentio; tum citra, et quævis alia: odor enim pomorum suavis est et acer, ac vinosum quid redolet.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesiæ.

Persistit in similitudine palmæ, q. d. Sicut palma crebris corticem segmentis quasi gradibus infuantes allicit ad ascensum in cacumen, ut ibi botros tum palmæ, id est dactylos, tum vitis illi maritate, id est uvæ decerpant: sic tu, o Synagoga, quæ in palmæ altitudinem et decorem excrevisisti, me, puta chorum adolescentularum, id est imperfectarum in fide et pietate animarum allicis, ut ad tuam celsitudinem conscendam, et ad ubera botris tuis similia pertingam, ex iisque sugam lac, imo vinum doctrinæ sublimis, quod me ad perfectionem vite christiane perducat, ac simul ex ore tuo hauriam spiritum suaveolentem pietatis et sanctitatis: ita Hierotolanus, Sanchez et Delrio. Audi tres Anonymos apud Theodoretum: « Mecum ipsa deliberans dixi: Ascendam per virtutis imitationem ad perfectionem doctrinæ tuæ, et per contemplationem apprehendam ejus sublimitatem. Et discipulam tue ubera, quæ me naturaliter nutriant, erunt omnino sicut botrus veræ vitis, qui Christus est, præbent mihi gratiam divinitatis, quæ vini more a natura mentem dimovet, et supra naturam transfert. Unde etiam *odor naris tuæ sicut poma*, gratia scilicet Spiritus Sancti, mentem implens suavitate, quam tu a sponso suscepisti in nos infundis. Sicut poma sunt tum aspectu pulchra, tum odorata suavia, tum gustatu dulcia; sic ipsa nobis erit et virtutum moribus decora, et odoriferat sermonum venustate, et dulcis experientia jucunditate. » Primo ergo per *palmam* accipere statu-

ram, id est, celsitudinem palmarum Synagogæ: de hæc enim sermo præcessit; celsitudinem, inquam, non corporis, sed spiritus et virtutis. Secundo, symbolice per *palmam* accipere crucem Christi; statura enim Synagogæ assimilata fuit palmæ tum naturali, tum symbolice, hoc est cruci Christi, quia ipsa per crucem ad magnitudinem palmæ in virtute et spiritu exerevit. Unde per *palmam* crucem Christi intelligunt Cassiodorus, Justus, S. Gregorius, Honorius, Guilielmus hic, et Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, et S. Cyprianus, serm. *De Passione*, Petrus Damianus, serm. *De Inventione Crucis*. Quocirca multi censent crucem Christi confectam fuisse ex palmâ, idque hic significari, de quo mox.

Hinc rursus Cassiodorus, Philo, Honorius, S. Gregorius, Aponius, Beda, Anselmus, Rupertus et alii plures hæc accipiunt de Christo ascensum in crucem. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, *Tragedia de Christo patiente*, censet Christum crucifixum non in terra, sed cruci jam erectæ et firmatæ in terra, per scalas fuisse affixum: idem censet S. Bernardus, *De Passione Domini* (vel quisquis est Auctor), cap. v, et S. Bonaventura in *Fasciculo myrrhæ*, cap. III. Contrarium tamen communiter tenent alii, scilicet Christum in terra prostratum fuisse cruci affixum: id enim facilius et commodius erat: ita censent S. Anselmus, lib. *De Passione*, B. Laurentius Justinianus, serm. *De Passione Domini*, S. Antonius in *Chronica*, part. I, Luysius, lib. II *De Cruce*, cap. VII, et alii, in eamque inclinat Franciscus Suarez; priorem tamen sententiam, quod Christus cruci erectus sit affixus, confirmat, quod hoc erat majus supplicium, et major ignominia ad majorem terrorem, idque sibi in monte Calvarie oranti a Christo revelatum esse asserit S. Brigitta, lib. VII *Revelat.* cap. xv; unde S. Ambrosius, lib. X *in Lucam*, dicit Christum ascendisse in crucem; et S. Cyprianus, tract. *De Passione*: « Ascendisti, inquit, Domine, palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum. » Idem disertè docent Nicephorus, lib. I, cap. xxx, Toletus in cap. XIX *Jean*. Annot. 14, Rutilius, Benzonius, Paleotius et alii, quos citat Daniel Mallonius, Annot. in cap. VI Alphonsi Paleotii *De Stigmat. 5 Sindonis*, et Consalvus Durantus Annot. in lib. VII *Revelat.* S. Brigittæ, cap. xv. Verum hæc de re pluribus egendum *Matth. XVII, 33*.

Audi Honorium: « Quod *statura* pe rseverantie tue *assimilata est palmæ* victoriae meæ, hoc ideo est, quia ego ascendi in palmam, et traxi te post me ad *victoriam*: videlicet quia exaltatus sum in cruce. omni. traxi ad me, in quibus et te. Dixi enim, id est firmiter apud patrem ante sæcula disposui, quia *ascendam in palmam*, id est crucem, et vincam tyrannum, et tunc *apprehendam fructus* ejus, scilicet omnes salvandos, quorum pars sunt ultimi Judæi, et victo tyranno fugitivos ad me retrabam. » Et post nonnulla: « *Ubera Sunamitis*

sunt prædicatores, qui læ doctrinæ præbent rudibus. *Vinea* est Ecclesiæ, *botrus* est Christus in prelo crucis pressus, de quo fluxit vita potus: Sic prementur doctores Synagogæ in Antichristi persecutionibus, et fluent de eis vite pocula fidelibus. *Odores vero Sunamitis* sunt fama et opinio bonæ operationis et prædicationis, quæ sunt sicut odores malorum, id est sicut prædicationes apostolorum. » Verum ex præcedenti liquet hæc esse verba Ecclesiæ, vel potius chori adolescentularum, harum enim est crescere et ascendere; ergo chorus adolescentularum, id est imperfectorum, Ecclesiæ laudibus applaudens et succens, dicit Synagogæ Judæorum ad Christum conversæ: Video te, o domina, per palmam crucis Christi in palmæ arboris altitudinem excrevisse: quia enim credidisti in Christum crucifixum, eique te per omnia conformasti, hinc subito tam proceræ evasisti, ut doctores illustres et martyres eximios proderis: quare ego gestio tecum in hanc crucis Christi palmam conscendere, ut inde tecum tam generosos fortitudinis, sapientiæ et martyrii fructus decerpam, ac ipsa quoque doctores et martyres eximios producam, qui tecum pro Christo contra Antichristum usque ad mortem decerant, nimirum tibi « *ubera tua* » erunt mihi « sicut botri vineæ, » quæ pro lacte parvulorum fundent mihi vinum forte, et ardens doctrinæ et martyrii, quod proprium est in fide adullorum et perfectorum, ut superior dixi. « Et odor oris tui sicut malorum, » quia suavia pietatis et constantie exempla et documenta ab ore tuo excipiam, quæ imiter, et aliis admiranda et imitanda proponam: odor enim proprie notat bonam edificationem, bonique exempli et famæ fragrantiam.

Hæc facit versio Chaldaei, qui de Judæorum prophetis more suo ita vertit: « Dixit Dominus in verbo suo: Ascendam et tentabo Danielem, et videbo si potest stare in tentatione hæc, sicut stetit Abraham, qui similis fuit ramo palmarum, quem probavi decem tentationibus, et probabo quoque Ananiam, Misael et Azariam: et si possunt stare in tentationibus suis, redimam propter merita eorum populum domus Israël, qui comparatus est botris uvarum; et nomen Daniel, Ananie, Azarie et Misael audietur in universa terra, et odor eorum erit fragrans, sicut odor pomorum paradisi voluptatis. »

Porro palma symbolum est victoriæ et imperii, quod Christus et Ecclesiæ per crucem consecuti sunt: causam dicit Philo, lib. II *De Vita Moysis*: quia vis palmæ (quam non in radice decessam ut cæteræ, sed in summo quas. cer stam in ramorum medio habet) a ramis ipsæ circumquaque stipatur, seu princeps a suis satellitibus; et quia sicut regnum militari munus presidio, nec sine labore seu certamine aut acquiritur aut conservatur, sic etiam palma, cujus folia gladiatorum uræ se ferunt speciem, militari velut presidio

sine labore fractus ejus, qui in summo est, comparatur.

Hinc pro fructus Septuaginta hic vertunt, *cacumina* : quocirca Rupertus, Honorius et Guilielmus censent Christum ascendere in palmam et apprehendere fructus ejus, idem esse, quod exaltari a terra, et omnia ad se trahere, Joan. xii, 32; eo quod difficilis Christo fuerit hic in crucem ascensum per clavos, lanceam et spinas, ut ejus fructum et cacumen, id est orbis imperium obtineret. Audi Rupertum : « Ascendit in palmam manibus militum, qui divina dignationi mee nescientes militavit. Quantum in ipsis fuit, crucifixerunt hominem misere moriturum; quod ad me atinebat, ascendi in palmam tanquam rex triumphaturus. De qua quidem Judaei divina dispensationis ignari descendere monuerunt dicentes, *Matth. xxvii, 42* : *Si rex Israel est, descendat de cruce*. Ascenderam in palmam, et ideo volebam descendere, nondum formatis fructibus (adhuc enim ferebat palma, cum ei Italia decederent); cum autem gustato aeto dicere, *Joan. cap. xix, 30* : *Consummatum est, et inclinato capite tradiderunt spiritum*, jam redemptionis mundi fructus in palma erant. »

Hac de causa multi censent crucem Christi saltem ex parte factam esse ex palma; unde tritum carmen, quod citat Glossa in Clemente, *De Summa Trinit. :*

Ligna crucis palma, colras, cupressus, oliva.

Imo multi contendunt lignum transversum crucis, cui clavus affixus fuere manus Christi, fuisse ex palma, ideoque dicti : « Apprehendam (manibus) fructus ejus; » unde versus :

De cedra est truncus, corpus tenet alia cupressus :
Palma manus retinet, filulo testatur oliva.

Vide Gretsaram, lib. I *De Cruce*, cap. v; Lipsium, lib. III *De Cruce*, cap. xiii; Delrio, lect. 40 *De Passione Domini*. Huc facit illud juxta Septuaginta olim lectum, *Psalm. xcv, 9*, *regnabit a ligno Deus*, unde et Christo ingredienti Jerusalem, quasi Messias regi inaugurando in cruce, occurrit turba cum ramis palmarum acinens, *Matth. xxi, 13* : « *Hosanna filio David* ! » g. d. Vivat noster Messias rex, Davidis filius et heres.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta perfectionis avida dicit cum S. Paulo, *Philip. iii, 12* : « Ego me non arbitror comprehensisse, sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensum sum a Christo Jesu : » quare cum Davide ascensiones in corde suo disponit, ut eat de virtute in virtutem, ait Theodoretus, ac nominatim ascendit in palmam mortificationis et crucis Christi : ibi sugit ubera, non lactis, sed vini fortis, scilicet invicta pa-

fientiae et charitatis : ibi quoque haurit odorem oris Christi, id est fragrantiam modestiae, obedientiae, amoris et orationis Christi orantis pro suis crucifixoribus, ut haec ejus virtutes amet et imiletur. Unde S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. viii, per palmam accipit charitatem, haec enim est palma virtutum omnium, ideoque in palma cruce Christi maxime resplendit. « Ipsa charitas, ait S. Ambrosius, palma est, ipsa enim est plenitudo victoriae : » plenitudo legis charitas est, Rom. cap. xiii, vers. 10; idem, lib. III *Hexam.* cap. xiii : « *Dixi*, inquit : *Ascendam in palmam, tenebo altitudines ejus*. Quae eminentiam videns Verbi, et sperans quod ad ejus altitudinem possit ascendere, et scientiae summitatem, dixit : *Ascendam in palmam*, ut omnia inferiora relinquat, et ad superiora contendat ad bravium Christi, ut suaves ejus fructus carpat et gustet : suavis enim virtutis est fructus. » Et S. Chrysostomus, hom. 22 ad *Populum* : « Die tu quoque, inquit, secundum illam sanctam animam : *Dixi* : *Ascendam in palmam ad tenendum subtilitates ejus*; rectitudinem amantem, et mundum habentem cor, et ad caelestia bona currentem, nec circa terrena tantum distractam. Vide ne stimulus habeat palma tua contra peccatum redargutiones : sermones enim sapientium tanquam bonum stimuli; at qui his punguntur, corde compungantur, et ab omni peccato abstant; sed diligenter ipsius altitudines retine, ut sine ruina permanens continuo ventorum incursum ferens. » Causam dat Philo, scilicet crucis fructus plurimos et maximos : « Christus enim, inquit, tantopere nos amavit, ut acerbissimam crucis mortem subire non dubitavit, ejusque altitudines dolorum omnium et cruciatuum, ignominiae atque dedecoris, non modo vicere, verum etiam amabiles reddiderit, et gloriosas, planeque caelestes et salutaris. » Iam Paulus, egregius ille predicator et doctor, in crucis ignominia et passione gloriatur, cum dicit, *Galat. vi, 14* : « *Mihi autem alibi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*. Hinc reliqui apostoli et caeteri fideles omnes laborum premia consecuti sunt et consequentur. In hac una tentamenta omnia, et armorum tormina sedantur atque vincuntur; per hanc animi perturbationem et vulnera vel lachrya felicissime curantur. Hinc fit ut quod sequitur habeamus, ait enim, *Cantic. cap. vi, 8* : *Et erant ubera tua ut botri vineae : et odor nasi tui, tanquam odor mali odoratissime*. Ut enim botri vineae calcati ac pressi, latissimum liquorem in suo agricola atque vinitor effundunt, sic viri Dei justi ac sancti diris cruciatibus, atque pressuris hominum botrorum instar affici ac torti, per victoriam salutarem cultori Deo et Jesu Christo, ac sponse caelestem letitiam de se pariunt ac promunt, sanctitatisque odore atque virtutum ad idem caeteros imitatores Christi allucinant ac trahunt. » Subjungit Philo : « Sicut mala sive poma cibum de se prestant ac potum, qua-

dno simul in se continent, sic et bonus odor Ecclesiae ex recta fide et sincera charitate mysticum potum ac cibum corporis et sanguinis Christi possidet ac potat, quod ex sequentibus patet; ait enim, *Cantic. vii, 9* : *Et guttur tuum uti vinum bonum, proveniens fratri meo in rectitudinem, quod satisfacit labiis meis atque dentibus*. » Sic et Theodoretus haeret ad Eucharistiam, quasi dicat Christo : Tu es vera filia vitis, ex qua salutariter vinum conficitur, spiritualibus praesulis expressum : unde calix ille impletur inebrians, sane preclarus.

Tropologice S. Gregorius per mala pumica accipit martyres; per os sponse, praedicationem Ecclesiae : « Quae, inquit, dum virtutes martyrum praedicat, dum ad eorum similitudinem animos audientium instigat, dum in unius praedicatione fidei multas virtutes esse manifestat, quid aliquid quam malorum odorem in ore portat? quia et ruborem corticis in martyrio ostendit, quod praedicat, et in virtutibus multitudinem granorum sub eadem fide, quasi sub eodem cortice, demonstrat. » Porro martyribus palma debetur : nam, ut ait S. Ambrosius, *serm. 38*, qui est in Dominica 2 quadragesimae : « Praemium quoddam est palma martyri, quae confitenti linguae dulcem fructum tribuit, et victrici dexterae gloriosum praestat ornamentum. Est plane palma martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper parata victoria, ideo ideo non marcescit palma, quia martyrum victoria non marcescit. »

Anagogice Honorius : « Triumphans Ecclesia, inquit, in palmam ascendit, quia per victoriam crucis ad lignum vite pervenit, de quo scriptum est : *Vincenti dabo edere de ligno vite, quod est in paradiso Dei mei*, Apoc. cap. ii, 7. Fructus ejus jam apprehendit, de quo qui comederit, non morietur in aeternum. Ubera ejus sunt sicut botrus vineae, quia gaudia, quibus pro pressuris mundi inebriatur, sunt sicut gaudia Christi in cruce pressi : ipse enim est botrus vineae, potus Ecclesiae, fons vite; ab ipso inebriabitur, quando ei dicitur, *Matth. xxi, 23* : *Intro in gaudium Domini tui*; tunc erunt odores ejus sicut malorum, id est deliciae ejus erunt sicut angelorum; et guttur ejus, sicut vinum optimum, id est, laus ejus erit sicut laus epulantium. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus cum aliis censens haec esse verba sponsi, ait Christum iterum ad passionem id matris significasse : sic enim Christum loquentem inducit : « Si enim ipsis amicus dixi, *Matth. xx, 18* : *Ece ascendimus Hierosolimam, et filius hominis tradetur ad crucifigendum, et alia multa ad hunc sensum pertinentia* : imo si et inimicus dixi, *Joan.*

cap. xii, 32 : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*; quanto magis charissimus dixi, aut dicere debuit, *Cantic. vii, 8 et 9* : *Ascendam in palmam, et apprehendam fructum ejus, et erunt ubera tua sicut botri vineae, et odores tui sicut malorum : guttur tuum sicut vinum optimum*. Hoc erat dicere : Exaltabor in cruceum victoriosam, et moriendo morte fructuosa operabor velociter salutem omnium credentium; et deinde doctrina tua, doctrina legalis atque evangelica tempore opportuno palam praedicabitur, sicut in autumnum dulces botri comeduntur; et bonus ubique diffunditur odor honorata operum tuorum, et dulcissimum atque delectabile mihi erit eloquium tuum. » Addit Honorius : « Vineae, de qua allatus est botrus, fuit floridum corpus Mariae; qui botrus in torculari crucis expressus : et inde fluxit fidelium potus. »

Rursum postquam Christus ascendit in palmam crucis, mox apprehendit fructus ejus; nam tertio die a morte gloriosus resurrexit, et die 40 triumphans in caelum ascendit, ac die 50 misit in B. Virginem et in apostolos Spiritum Sanctum; tuncque ubera B. Virginis facta sunt sicut botri vineae, quia tunc cepit conceptionis, nativitatis, passionis, caeteraque vite Christi mysteria praesertim secreta, et sibi soli cognita, utpote in se vel per se peracta, fidelibus, ac praesertim S. Luce, qui ea in Evangelio conscripsit, revelare; tunc pariter palam cepit peccatoribus et tribulatis ad se confugientibus vinum poenitentiae, consolationis, gratiae et sanctae exultationis propinare. « Et odor oris tui sicut malorum, » qui in verbis ejus erat non tantum sanctae delectatio, suavi salubritate sed et vitalis refectio, quae nimirum ab ore ejus, et salubri suavitate pleno, Ecclesiae primitiva excipiens, verbis simul et litteris transmissit ad posteros; odore hic ergo ejus sparsus est per omnes fines terrae, et per omnia temporum saecula. Ita Guillelmus.

VERS. 9. GUTTUR TUUM SICUT VINUM OPTIMUM, DIGNUM DILECTO MEO AD POTANDUM, LABIISQUE ET DENTIBUS ILLIUS AD RUMINANDUM.

GUTTUR TUUM SICUT VINUM OPTIMUM (Tigurina, *madens vino prestantissimo*), DIGNUM DILECTO MEO AD POTANDUM, LABIISQUE ET DENTIBUS ILLIUS AD RUMINANDUM. — Hebraea, *palatum tuum* (o sponsa Synagoga, pronomen enim affixum in *תי חתכה*, significans tuum, est femininum) sicut vinum bonum (per eminentiam, id est optimum) quod vadit ad dilectum meum ad rectitudinem (id est, recta blandique ingreditur os ejus, ut veritatis Noster, *Prov. xxiii, 31*. Pagninus vertit, *propter bonitatem vini*; Symmachus, *conveniens dilecto meo in rectitudinem*; Arabicus, *quod dilectus meus vadit ad rectitudinem*; Tigurina, *quod meis amoribus redat idoneum ad ea quae rectissima sunt*) loquens vel sonans labiis dormientium; vel ut Pagninus, *loquens aut mussitare faciens labia dormientium*. Agabius;

eructare faciens labia senum: vinum animæ præstans post potum ad os et labia redit, illaque ruminare, masticare et loqui facit, juxta illud:

Fæcandi calnes quem non fecere disertum?

Sic Siculi, ait Nigidius Siculus hic, vinum optimum vocant *vinum mortuorum*, quod scilicet mortuos quasi suscitet, et loqui faciat; hinc Noster vertit, *ad ruminandum*, juxta illud vinolentorum: *Vinum bonum non bibendum, sed mandendum*; Septuaginta, *sufficiens labiis*; Vatablus, et *palatum tuum est velut vinum, quod dilecto meo defuit suavissime loquenti sermone dormientium*, id est sermone balbutientium ac imperfecto, *g. d.* Sermo tunc tam suavis est, o sponsa, quam suave esse solet optimum vinum amico meo, quo epoto, non satis expedite loqui solet. Hæc Vatablus.

Noster, Septuaginta et Aquila addunt, et *dentibus*, quia pro *לשונם* *iscentum* vel *tescentum*, id est *dormientium* vel *senum*, legerunt *לשונם* *vescentium*, id est et *dentium*. Hoc secutus Syrus vertit, *es tuum sicut vinum bonum, ut cadam ad patrum meum in rectitudinem, qui movet labia mea et dentes meos*; nam pro *לשונם* *siphle*, id est *labia*, Septuaginta et Syrus aliis punctis legerunt *שפתי* *saphata*, id est *labia mea*.

DIGNUM DILECTO MEO AD POTANDUM.— Alcazar censens hæc omnia esse verba sponsi, per dilectum accipit non sponsum (hic enim dixisset *dignum me*), sed quemvis amicum; verum hebreum *דודי* *dodi*, id est *dilectus meus*, in Canticis ubique significat sponsum: quocirca Almonacrius planius cum Ruperto respondet, *guttur tuum sicut vinum optimum*, dici a sponso, cui deinde sponsa approbando, et laudem in sponsum reflectendo, respondeat, *dignum dilecto meo*. Verum planius et aptius est, ut omnia a versu 6 usque ad versum 18, dicamus esse verba chori adolescentularum, qui sponsum vocat dilectum suum, id est *hera sua* Synagoga, vel *sum*, quia ad ejus nuptias aspirant, ad easque certo perventuræ sunt, cum, ut decernunt, ascenderit in palmam crucis et perfectionis. Sensus est, *g. d.* Sponsa non tantum suavem odorem malorum, sed et saporem vini optimi ore et gutture exhalat: optimi, inquam, quod sponso dignum sit ad potandum, imo ad mandendum et ruminandum.

Porro Chaldaeus hæc ad prophetas referens, more suo sic vertit: « Dixit Daniel et socii ejus: suscipiendo suscipiemus super nos decretum verbi Domini, sicut suscepit super se Abraham pater noster, qui comparatus est vino veteri, et ambulabimus in viis quæ rectæ sunt coram eo, sicut ambulaverunt Elias et Eliseus prophetae, per quorum merita surrexerunt mortui, qui similes sunt vino dormienti; et sicut Ezechiel filius Buzi sacerdos, quia in prophetia oris sui suscitati sunt dormientes mortui, qui erant in campo Dura. »

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Synagoga, ad Christum conversa, gutture vinum optimum exhalabit, cum per Eliam vino christianæ doctrine et charitatis accensa, et quasi ebria illud eructabit; cum scilicet sermonibus suis, et concionibus ardentibus proximis quosque amore Christi inflammabit, quod vinum Christo erit dignum, gratum et jucundum ad ruminandum et crebrius commemorandum; unde Cosmas Damianus chorum filiarum, sive adolescentularum Synagoga, heræ suæ ita loquentem inducit: Liceat, oramus, te aliquando osculari, et abditissima divinitatis arcana ex tuo gutture ebibere, quod generosum et optimum vinum spiritualis hominis cor exhilarat, sine vitio inebriat, et virgines christianas animas succulentes reddit, ac maxime sobrias, ut jam tibi nemo vitio vertat (ut olim illi) quod, dum osculum das, vinum propines. Id vero vinum in te prius a sponso tuo, jam mihi charissimo, infusum ex tuo gutture quasi ex euripo quodam, quem in alios docendo refundis ad Christum amores meos (unde prius manavit) itaque cum suam primaræ recurret originem: quod ille summa cum voluptate repetitum bibit, perque os suum versat. Quin et hoc ipsum illud vinum est, quod senes alioqui infantes idiotas desertos reddit et eloquentes, cælesti nimirum calore accensos et re-creatos.

Andi S. Gregorium: « In gutture quippe vox est; per guttur ergo ipsa predicatio iterum designatur, quæ quasi vinum optimum esse dicitur, quia mentes hominum inebriat, ut præteritorum, sicut dictum est, obliviscantur, et in anteriora currentes non lassentur. » Et post pauca: « Tale est sponsum vinum, ut dignum sit dilecto ad potandum, quia dum sancta Ecclesia fidem veram prædicat, dum auditores suos ad sancta opera excitat, dum solum Christum diligere, imitari, amplecti bonum esse, verbis et operibus demonstrat, quid aliud, quam sinum suum dignum facit, ut in ore sponsi dulce sapiat? Quod bene Christus potare dicitur, quia a corpore suo, id est a populis fidelibus amabiliter potatur. » Verba deinde pressius urgens, subjungit: « De quo notandum est, quod omnes potant, sed labia sola et soli dentes ruminant, quia dum Ecclesia per sanctos suos prædicat, omnes quidem audiunt, sed non omnes quanta sit virtus sententiarum, quæ dicuntur, discernunt. Labia vero et dentes ruminant, quia dum perfectiores quisque post auditum verba ad memoriam revocant, dum audita quæque exercitatione assidua cogitant, quasi ad os revocantes, quod sumpserunt, quanta sit virtus cibi, quem comederunt, sentiunt. Ideo in lege scribitur, Deuter. xiv, 8, quia animal quod

non ruminat, immundum habetur; quia quisquis bona, quæ audit sive legit, non recogitat vacans a sanctis cogitationibus, necessario immundas congregat. »

Accedit Theodoretus et Justus Orgelitanus, qui per guttur accipiunt doctrinam evangelii, per labia et dentes vero predicatores; Aponius autem guttur Ecclesie ait esse S. Petrum. Addunt Cassiodorus, Beda, Rupertus alique, et quoslibet prædicatores. Porro Cassiodorus guttur vini optimi ita distinguit ab odore oris instar malorum, ut per guttur accipiat prædicationem, quæ voce fit, per odorem vero oris eam, quæ scripto vel fama fit: efficaçer autem et ardentior est viva vox, quam odor oris: unde illa vino præstanti comparatur, hæc malis et pomis.

Symbolice, Philo Carpathius per guttur metonymice accipit Christi corpus et sanguinem gutturi fidelium exhibitum in Eucharistia, juxta illud, Psalm. xxxiii, 9: « Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo. » Has igitur, inquit, spirituales escas et salutare, corporis scilicet et sanguinis Jesu Christi, gustans Ecclesia, et quæque fidelis anima, guttur habet ut vinum bonum: hoc enim vinum sancte componit, dolores omnes animi sedat atque componit, ebrietatem omnem rerum caducarum tollit, cor exhilarat atque confirmat, omnesque morbos facillime sanat ac curat, estque æternæ vite salutaris unda, fons et origo in remissionem peccatorum benignissime effusus ac datus, ab omni scelerum sorde et gravitate lavans, dicente Domino, Matth. xxvi, 28: *Accipite et bibite, hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Estque admirabile, quod proveniens fratri meo in rectitudinem, dixit ut ostenderet solis reclus corde hanc letissimam escam celestem, panem supersubstantialiæ, et salutare potum esse datum: quod ille celestium arcanorum haustus explicat, cum dicit, Psalm. xcvi, 14: *Lux orta est justo, et reclus corde letitia*. Et Paulus sanctissimus apostolus, non temere ad hoc divinisimum convivium accedendum esse admonet, dicens, 1 Cor. xi, 28: *Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat, etc.* O rem miram! o rem tremendam! hæc, quæso, mecum diligenter, sacerdotes, attendite; hæc, fratres, animadvertite; hæc time te semper et cave te periculum. » Hæc et plura Philo.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Cato, teste Plutarcho, osculari solebat uxorem, filias, neptes, ut ex ore earum et halitu vinoso afflaret, an vinum bibissent, ac meribibulas castigaret, uti S. Monica junior existens ab ancillis meribibula cognominata et castigata vini appeti-

tum correxit et abscedit, teste S. Augustino, lib. IX Confess. At pii pendunt ab ore sanctorum, qui spirituali musto divini amoris ebri eructant magna Dei, ut similem spiritum doxologie Dei hauriant: uti contigit Judæis audientibus apostolos, Christum resonantes post acceptum Spiritum Sanctum, Actor. ii, 45. Hoc enim mustum Christo est gratissimum ad hauriendum et ruminandum; unde Beda et Honorius: *Guttur anime*, inquit, est vox laudis et confessionis ejus, quod est sicut vinum optimum, quia non inibat inebriando, sed lætificat cor recreando; et Guilielmus: « In gutture, inquit, vocis officium est; habet autem et homo interior guttur suum spirituale, quo plerumque intus in laudem Dei clamorosus est homo, nullo corporali sono foris strepente; unde Propheta de sanctis Deum laudantibus, Psalm. cxlvi, 6: *Exsultationes*, inquit, *Dei in gutture eorum*. Porro vinum et in sapore jucundum, et in colore decorum est; cum ergo formam illam implemus, quam nobis Propheta præscribit, Psalm. cxlvi, 1: *Deo*, inquit, *nostro sit jucunda decoreque laudatio*, tunc guttur nostrum est sicut vinum. Sane jucunditas laudationis in hilaritate consistit devotionis. Qui ergo laudat Deum hilariter et devote, procul dubio laudat eum jucunde, etc.; qui vero cum munditia conversationis hilaritatem Deo exhibet sanctæ pieque devotionis, in gutture suo habet jucundam decoramque laudationem, qualis Deum sane decoret. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Primo, guttur B. Virginis est sicut vinum optimum, quia non nisi laudes Dei eructat, ut cum cecinit, Luc. i, 46: « Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, » etc.; unde Guilielmus eam sic loquentem inducit: « Vere in laudibus dilecti guttur meum sicut vinum optimum: nam quantum diligo, tantum et laudo, et pro mensura dilectionis est modus laudationis; » idque tam in adversis, quam in prosperis, ac præsertim cum cruci Christi assiluit: tunc enim resignata in manus Dei, immensum ejus in homines amorem, ac Christi obedientiam admirata laudavit. Secundo, Honorius: *Guttur*, inquit, est doctrina Virginis, qua docuit verbo et exemplo Deum humiles exaltare atque superbos humiliare, juxta illud quod ipsa ait, Luc. i, 51: « Dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. » Doctrina hæc sane est optima et præstantissima. Tertio, Hailgrinus per guttur accipit preces B. Virginis, quæ sunt similes vino optimo, quia ipsa nil petit nisi piam, sanctum, et Deo dignum; unde ejus preces filius non tantum potat, id est avidè haurit, sed et ruminat, id est is immora-

tur, lique se oblectat. Audi Christum Dominum os et guttur B. Virginis mystice describentem S. Brigittæ, lib. IX *Revelat.* in fine interrog. 9: « Os tuum fuit quasi lampas intus ardens et lucens ab extra, quia verba et affectiones animæ tue fuerunt ardentes interiorius divina diligentia, et exteriorius splendentes ex dispositione laudabili tuorum motuum corporalium, et concordia pulcherrima tuarum virtutum. Vere, mater charissima, verbum os tui traxit quodammodo Deitatem meam in te, et fervor divinæ dulcedinis tuæ nunquam separabitur a te, quia verba tua dulciora sunt super mei et factum, » Psalm. XVIII, 31.

VOX SPONSÆ NOVÆ,

Putæ Synagogæ ad Christum conversæ.

VERS. 10. EGO DILECTO MEO, ET AD ME CONVERSO EJUS.

Pagninus, desiderium ejus. Vatablus, ego dilecti mei sum, et ad me desiderium ejus, q. d. Ego sponsum diligo, et ille vicissim unice me diligit: ego tota illius sum, ille vicissim totus meus est: ego me totam devoti illius obsequio, ille vicissim se suosque oculos, suam curam, amorem et officia in me convertit, ac aspiciat quid ego velim vel optem, illudque illico perficit, ut meis votis et desideris obsecundet: quare se totum meæ potestati et voluntati permisisse videtur. Hoc enim significat hebræum *תשוקתו* *tesukatoth*, Genes. III, 36, quod Noster vertit, potestatem, dicens, sub viri potestate eris, pro quo Aben-Ezra vertit, et ad virum tuum obedientia tua.

Porro Chaldaeus vertit: « Dixit Jerusalem: in omni tempore, quo ego ambulabo in via Dominatoris sæculi, habitare facit majestatem suam in medio mei, et ad me est desiderium ejus, et in tempore, quo ego declino a viis ejus, auferit majestatem suam a me, et transfert me inter populos, et ipsi dominantur in me, sicut vir, qui dominatur uxori suæ. »

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Est vox Synagogæ conversæ ad Christum, quæ Christi sponsi amoris, æque ac adolescentularum laudibus respondet, ac amorem amoris recipit, atque se totam sponsi esse pronuntiat, q. d. Ego tota sum dilecti, sicut ille vicissim totus meus est: ego meos oculos, mentem actusque omnes ad ipsum converto, omnes cogitationes et intentiones ad ipsum dirigo, ipsi uni placere et satisfacere contendo: illum unum specto, ut illi per omnia serviam, sicut ille vicissim me unam spectat, ut meis commodis votisque obsequatur; ex illius ore nutuque pendeo, sicut ille vicissim meos nutus, os et vota observat. Rursum efficacius et potest causaliter pro quia, q. d.

Ego totam me ad dilectum converto, et, id est quia ipse quoque totus ad me conversus est: quare omnes amoris remoras et impedimenta abieci. Simile dat Aristoteles, *Ethic.* II: Sponsa, ait, ad sponsum respicit, ipsamque desiderat, sicut terra arida cælum respicit, ejusque imbrem silit; ac vicissim cælum ad terram respicit, ipsique suam pluviam et influxum communicare appetit, ut ipsam gravidam, germinumque et fructuum feracem efficiat.

Audi Theodoretum: « Ego mater meo me ipsam consecravi, et alienam tum gentiliam, tum Judæorum, tum hæreticorum consuetudinem contempsi; nam ipse quoque me ceteris antelocit, et ad me sese convertit. Cum enim prius ubi reclinaret caput, non haberet, jam reperit, ubi illud reclinet, cumque multas habeat concubinas, et reginas, et adolescentulas, me omnibus anteponeo. Neque vero palat, ut ego sola sacra illius finar consuetudine, ideo dico: Veni, etc.

Symbolice Cassiodorus per conversionem accipit incarnationem: in illa enim Verbum ad humanam naturam se convertit, ad eamque e summo colorum excurrit: hebræum enim *תשוקתו* *tesuka* significat *excursum*; verum a littera hoc alienum et remotum est: initio enim Cantici egit de incarnatione, hic vero sub finem Cantici agit de fine et consummatione Ecclesie.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima, quæ se totam Christo devovet, qualis est religiosorum, vere dicit: « Ego dilecto meo, et ad me converso ejus, » q. d. S. Gregorius: « Quoniam fide ac dilectione soli Christo adhaereo, solum sequor, solum cum Patre et Spiritu Sancto unum Deum videre concupisco, et respectationis ejus suavitatem, visitationis benignitatem, ac conversationis dulcedinem gaudenter experiens proclamo. » Hujus rei symbolum est herba sive flos, qui dicitur heliotropium, id est ad solem converso; sicut enim hic cum sole (etiam nullo die) se circumagat, omnibusque horis cum eo versatur, sic anima Christum amans in eum jugiter respicit, ut semper cum eo versetur, ac se per mysteria vite et passionis ejus, quæ toto anno vicissim representat Ecclesia, circumagens, petitem in eodem omnem suar cogitationem, voluntatem et amorem deligit. Porro, sicut sol radis suis florem hunc circumagat, et ad se convertit, sic Christus animæ ad se unum conversionis primus est auctor: sua enim gratia animam ad se allicit, demulcet, inescat, ut jugiter ad ejus quasi matris uberibus pendere se gaudet.

Notat S. Ambrosius, lib. *De Isaac et Ascensione*, cap. VII, hanc gnomen in Cantico ter iterari, secundum tres gradus et status animæ: anima enim sancta primo est incipiens, secundo proficiens, tertio per-

fecta. Incipienti dicitur, cap. II, vers. 16: « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter filia, donec asperet dies, et inclinetur umbra. » Proficiens dicitur cap. VI, vers. 2: « Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter filia. » Tertio, perfecte dicitur hic: « Ego dilecto meo, et ad me converso ejus. » In primo, ait S. Ambrosius, quasi in institutione adhuc umbras videt anima, neque verbi appropinquantis revelatione commotas, et ideo adhuc ei dies evangelii refugibat. In secundo sine umbrarum confusione odores pios carpit. In tertio jam perfecta requiem in se verbo ministrat, ut convertatur super eam, et caput suum reclinet atque requiescat, meritoque jam tenens quem antea quaesivit invenire non poterat, invitat ad agrum suum dicens, *Cantic.* cap. VII, 11: Veni, frater meus, excusum in agrum, requiescamus in castellis. »

Addit Justus: « Ad me converso ejus, » ut scilicet meas preces exaudiat, utque mea bona opera et merita remuneretur, præmiisque in cælo, ait Philo. Sic in *Vita S. Brigittæ* legimus Christum illi apparentem dixisse: « Esto sponsa mea: » cui illico ipsa acquiescens, a sæculo aversa, totaque ad Christum conversa habitum mutavit et vitam: atque ab eo tempore per annos 28, colloquiis cælestibus fruita est, multasque profundorum dei arcanorum revelationes habuit, quæ etiamnum exstant, et a pluribus insignibus theologis magna cum sapientiæ et pietatis laude approbate sunt. Sic et de B. Theresia scribit noster Franciscus Ribera, nobilis S. Scripturæ interpres, lib. V *Vite* ejus, cap. X, sæpius ei divinam majestatem magno amoris indicio dixisse: « Jam tu es mea, et ego sum tuus. » Et alia vice: « Ex nunc eris mihi sponsa, deinceps meum honorem respicies, non tantum ut tui creatoris, et tui regis, et tui Dei, sed ut tui veri sponsi. Deinceps honor meus erit tuus, et honor tuus erit meus. » Et rursum: « Quia mihi es desponsa, hinc quidquid habeo, tuum est, ideoque tibi dono omnes dolores et labores quos pertuli, ac per illos quasi per rem propriam, postula a Patre quod vises. »

Anagogice Philo conversionem Christi interpretatur ejus reditum ad iudicium: « Ego, inquit, serviam Filio Dei, et ipse astatim me remunerabit, cum in secundo illo adventu cælitus descenderit iudex seseurus omnium atque discussor, congregans mortales omnes a quatuor angulis terre per lumen et officium angelorum. Sed illi primum convertamur oportet, et ille ad nos, sicut scriptum est, *Psalm.* cxv, 7: Convertite ad me, filia, etc. Et alibi, *Zachar.* I, 3: Convertimini ad me, et ego ad vos convertar. Sed ipse prius nos attrahat necesse est, ipse se primum offerat nobis oportet: tunc enim convertentur ad illum et sanabimur, juxta illud, *Jerem.* xvii, 14: Sana me, Domine, et sanabor: salva me, et salvus ero, » etc.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Primo, Honorius apposite ad genuinum litteræ sensum hæc verba tribuit B. Virgini oranti filium pro Judæorum conversione: « Ego, inquit, dilecto meo » pro vobis preces effudi, « et ad me converso ejus, » hoc est, per me voluit vos ad misericordiam converti. Secundo, Guilielmus hæc adaptat B. Virgini astanti Christo crucifixi: « Plane, inquit, ego dilecto meo per maternam commoriebar affectum, ita ut ejus in me martyrium redundaret, et quasi commartyrem faceret. Ego tunc dilecto meo ad declarandam mei in ipsum amoris quantitatem, et ejus ad me tunc conversio facta est ad declarandam filialem ejus charitatem: quantum enim me diligeret in ipso passionis articulo præclare ostendit, cum videns me piam matrem et discipulum stantem, quem diligebat, ad me de cruce conversus dixit mihi, *Joan.* XIX, 26: Mater, ecce filius tuus; discipulo autem: Ecce mater tua. Plane illius ad me in tanta non falsorum acerbitate dolorum tam filialis conversio, quam filialem in me animam gereret, insigniter declarabat. » Vide dicta cap. II, vers. 16, et cap. VI, vers. 2.

VERS. 11. VENI, DILECTE MI, EGREDIAMUR IN AGRUM, COMMORIAMUR IN VILLIS.

Hebræa et Syrus, pernoctemus in villis; Arabice, egredieris et commoraberis in villis. Sulamitis, sive Synagoga novella Christi sponsa sponsum a se jam inventum, et ex agro tendentem in urbem revocat ad agrum, puta ad rus aliquod proprium, ut ibi secretius, familiaris atque plenus cum eo colloquatur et converseatur. Porro Chaldaeus vertit: « Quando peccaverunt populus domus Israel, transmigrae eos fecit Dominus in terram Seir regionis Idumæe. Dixit cæcus Israel: Obsecro te, Dominator totius sæculi, suscipe orationem meam: ego coram te in urbibus transmigrationis meæ et provincis populorum. »

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Synagoga in fine mundi convertenda ad Christum rogabit eum, ut secum in agros et villas prodeat, tum ut ab urbano strepitu et turba se-mota liberius orationi et colloquio ipsius vacet, tum ut agrestes et rusticanos homines aliosque extra Jerusalem in pagis et villis degentes, ad fidem Christi per ejus opem et gradiam convertat: ita Honorius, Delrio, Hortolanus et alii. Sic Christus, cum viveret, obibat vios et castella, evangelizans regnum Dei: rusticani enim, utpote simplicis, rudis et innocentis vite, actiores sunt evan-

gelo; unde Christus ait, *Matth. xi, 5*: « Pauperes evangelizantur. » Et *Isaías, cap. XLIII, vers. 20*: « Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. »

Docet ergo hic Spiritus Sanctus rusticos, viles, et plebeios non esse negligendos, sed catechistas et concionatores debere tam illis, quam civibus et nobilibus predicare verbum Dei, imo illis, utpote rudioribus, erudiendis diutius oportere immorari, donec doctrinam et præcepta vitæ christianæ capiant et imbibant: hoc significat *in commoremur*. Ita Theodoretus et tres Anonymi, ac S. Ambrosius, *De Isaac, cap. viii, quem audi*: « Supra ad hortum invitabat, hic ad agrum habentem non solum florum gratiam, sed etiam triticum et hordeum, hoc est solidarum frumenta virtutum, ut fructus ejus aspiciat. Qua ratione autem exire cum in agrum vellet, intellectus manifestus est, ut quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos allevet, revocet errantes. Ergo quasi perfecta anima non pro se, sed pro aliis intervenit, ut de sinu Patris exeat, ut procedat foras tanquam sponsus de thalamo suo egregius errat viam, ut infirmos lucretur. » In libro autem III *De Virginitate*: « Audite, ait, quid dicat sacrosancta Ecclesia, *Cantic. vii, 11*: *Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis.* »

Audi et Hugonem Victorinum, *Institut. monast., De Claustris animæ, vii*: « Egreditur, inquit, animus a contemplatione ad sui circumspectionem; egreditur a cura sui ad agendam curam proximi, ut consoletur pusillanimes, corripit inquietos, ut fiat ager virtutum, qui prius fuerat veprium et spinarum. *Commoremur in villis*, id est in illis qui sunt villani, id est rudes et tardi ad percipienda documenta curiæ Christi. » Eadem habet Rupertus.

Symbolice S. Gregorius per egressum Christi in villas, accipit ejus egressum et coelo in terras per incarnationem: « *Ager*, inquit, teste veritate, *Matth. xiii, 28*, est hic mundus; *in agrum vero sponsus cum sponsa egreditur*, quando Verbum Dei carne suscepta in thalamo Virginis mundo monstratur. *In villis commoratur*, quando gentes per fidem visitat, quam recipientibus largitur. » Hac de causa Christus non in urbe, sed rure, puta suburbano bethlehemitico quasi puer rusticanus nasci voluit: cujus imitatione ibidem vitam agere et peregrare voluit S. Hieronymus, S. Paula, S. Eustochius, magnaque pars nobilitatis romanæ. Unde S. Hieronymus: « Mihi, inquit, oppidum carcer est, solitudo paradisi. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta amat agros, id est solitudinem,

ut in ea liberius orationi et contemplationi vacet; ut ex ea ardorem et zelum predicandi etiam rusticis, rudibus et pauperibus, quem Christus ostendit, concipiat: ita Honorius, Delrio et alii. Unde noster Alcazar per *agros et villas* accipit exteras regiones, ut Japoniam, Sinas, Cinaloam, in quas proficisci ambiunt religiosi apostolici, ut gentes derelictas et barbaras ad Christum convertant, eo quod hoc Christo gratissimum esse sciunt. Audi Cassiodorum: « Jam, inquit, mysterio ascensionis, assumptum hominem ad caelos sublevasti; sed veni divine majestatis præsentia me sapius visitando, egrediamur in agrum mundi hujus: prædicemus tunc incarnationis fidem mundo: in villis ac pagis commoremur, ipsis quoque paganis fidem tuam annuntiantes. » Addit Cassiodorus: « Nemo nescit paganos a villa dictos, quia *παγος* græce, villa dicitur latine; inde *paganus* dicitur, quia longe sunt a civitate Dei: » licet aliud *paganus* dent etymon; hinc et symbolice Philo: Sponsus Christus, ait, pernoctavit in villis, cum in agrestibus Judæorum mentibus, duris et obstinatis animis, pervicacissimisque et sævis cordibus ad noctem usque mortis peregrinus, invidis et perosis fuit. Melius hæc accipias de fidei ad Christum jam conversis, et in fine mundi convertendis.

Anagogice S. Ambrosius, orat. *De Obitu Valentini*, hæc accipit de egressu animæ et corpore, et migratione in caelum: « Venisti, inquit, eo ubi diversarum virtutum fructus pro singulorum meritis deferuntur, ubi abundant meritorum præmia. *Exeamus ergo in agrum*, in quo non vacuus labor, sed fecundus est proventus gratiarum. Quod in terris seminasti, hic metes: quod ibi sparsisti, hic collige. Aut certe veni in illum agrum, qui est odor Jacob, hoc est, veni in gremium Jacob, ut sicut Lazarus pauper in Abraham sinu, ita etiam tu in Jacob patriarchæ tranquillitate quiescas: sinus enim patriarcharum recessus quidam est quietis æternæ. *Requiescamus in castellis*, ubi requies est tutior, quo septo caelestis refugii munus atque vallata non exagitur secularium incurisibus bestiarum. » Sic et Honorius.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Jam dicta apprime competunt B. Virgini, qua zelo animarum flagrantissima, omnium etiam agrestium et villium hominum salutem impense desiderat et procurat, ideoque excitat viros apostolicos, qui eis prædicent, viamque salutis ostendant; Guilielmus tamen hæc accipit de B. Virgine eudente apostolis, ut occiso a Judæis Stephano, ab illis tanquam a perditis et evangelio resistentibus egrediantur in villas gentium, illisque Christum annuntient. Idem habet Rupertus.

VOX SPONSÆ

Veteris et nove, hæc est Ecclesia et Synagoga.

VERS. 12. MANE SURGAMUS AD VINEAS, VIDEAMUS SI FLORUIT VINEA, SI FLORES FRUCTUS PARTURIUNT, SI FLORUERUNT MALA PUNICA: IBI DABO TIBI UBERA MEA.

MANE SURGAMUS (ut erimus) AD VINEAS, VIDEAMUS SI FLORUIT VINEA, SI FLORES FRUCTUS PARTURIUNT, SI FLORUERUNT (Aquila, se aperuerunt: flores enim mali punici se pandunt) MALA PUNICA: IBI DABO TIBI UBERA MEA.—Vatablus, *ibi meum amorem erga te profundam*. Pro *si flores fructus parturiunt*, Septuaginta vertunt, *si floruit propago*; Philo, *si floruit cyprus*: ipse enim pro *παρρησία*, id est *propago*, legit *κίττος*, id est *cyprus*; Pagninus, *si aperuit se uva parva*; Vatablus, *uva recens aut parva*: hebraice enim est *כרוב* *semadar*, de quo dixi cap. ii, vers. 13 et 15. Pro *mala punica*, Arabicus vertit *montes*: alludit ad morem Salomonis, qui, ut a curis urbis et regni animum evocaret, mane in rus et vineas proficiscebatur. « Curru, ait Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. vii, mane vectari delectabatur in prædium nomine Helan, hortis et inductis fontibus amœnum: » mane enim horti et vineæ sunt amœnissimi.

PRIMUM SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Est hæc vox sponsæ antiquæ, puta Ecclesiæ gentium, quæ novellæ sponsæ, puta Synagoge Judæorum, recens conversæ (id est convertendæ ab Elia) congratulatur, ejusque consilium approbat: imo sponsum Christum adhortatur et invitatur, ut novellæ sponsæ sororis suæ votis morem gerat. Aut potius Ecclesia vocem suam hic cum Synagoga conjungit, ac utraque simul jam adunata, unaque sponsa, puta Ecclesia, effecta, Christum sponsum obsecrat, ut secum in villas et vineas concedat, ut reliquias Judæorum et gentium ab Antichristo vel seductas, vel perclusas ad Christum unanimi consensu traducant, præsertim mortuo et occiso jam Antichristo: tunc enim ejus fraudes, et fallacia, vanæque spes deteguntur: tunc pariter cessabit ejus metus et persecutio: quare facile tunc erit ab eo seductos, vel exterritos ad Christum revocare: ideoque Deus post Antichristi mortem concedet lapsis temporibus aliquod ponendi, differetque diem iudicii, uti dixi *Daniel. xii, 42*. Ait ergo: *Mane surgamus ad vineas*. A est visilemus particulares Ecclesias. *Videamus si floruit vinea*, id est si Ecclesia hierosolymitana et judaica, quæ Synagoge summe est cordi, in fide Christi floreat. *Si flores fructus parturiunt*, id est si bona Christi et salutis semina, quæ predicatorum mei Judæis et gentibus injecerunt, et in eorum mentibus quasi se-

minarunt, quæque in flores honorum desideriorum eruperunt; si, inquam, hæc semina fructus bonæ et efficaciæ operationis parturiunt. *Si floruerunt mala punica*, id est charitatis et martyrii, ait Angelomus, desideria, fructus et opera. *Ibi dabo tibi ubera mea*, ubera scilicet sanctæ doctrinæ dabo tibi, o dilecte mi, non sugenda ut a filio, sed ut a sponso amplexanda, dandaque tuis fidelibus, Judæis et gentibus, ut illa sugant, isque nutriantur in fide et pietate christiana: ita S. Gregorius, Philo, Justus et alii hæc accipiunt de Ecclesia invitante Christum, ut particulares suas Ecclesias visitet. Rursum *dabo tibi ubera*, id est cor meum et amores meos, ut vertit Vatablus. Vide quæ de uberibus dixi, cap. i, vers. 1.

Particularim vero de Ecclesiis Judæorum in fine mundi visitandis hæc accipit Honorius: « Nox, ait, fuit tempus persecutionis Antichristi: mane vero tempus pacis post mortem ejus; mane ergo sponsus et sponsa ad vineas ejuſ, qui quasi in nocte dormierunt, dum se post necem Antichristi ad faciendam Ecclesiam futuram, vel sub eo destructas renovant, vel dispersas congregant, quas sub eo destrui viderunt, sed quasi dormientes non restiterunt. At nunc dicit: *Videamus si floruit*, etc. Per predicatorum faciamus eos videre, si vinea scilicet Synagoga in fide floruit, ut eam imitentur, si florentes in fide opera fidei exsequantur, ut illos imitentur; si imitatores martyrum in patientia florent, ut eos imitentur. In illo agro proferam ad honorem tui omnem doctrinam utriusque legis, quæ sunt ubera mea; ut rudes in fide sugant inde læc doctrinæ. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Mane, inquit Philo, est quando adest gratia preveniens, per quam anima a tenebris ignorantie dei et cæcitatibus mentis, ac a nocte delictorum vocatur in admirabile lumen religionis et pietatis; tunc vineæ et arbores, id est habitus virtutum, suos producant flores et fructus sanctarum operationum. Angelomus per *florem vineæ* accipit fidem cordis, per *fructus oris* confessionem, per *mala punica* sanguinis pro fide profusionem.

Anagogice Honorius: « Mane, inquit, surgit Ecclesia ad vineas, dum se erigit ad supernas Ecclesias. Totum quippe tempus hujus sæculi est quasi nox ad comparisonem futuri sæculi. Dies autem iudicii est quasi mane æternæ diæ, quæ melior est super millia annorum; vel vita ejusque hominis est quasi nox, mane autem vita futura: in quo *mane* quisque fidelis surgit ad vineas, dum post mortem pervenit ad cælestes Ecclesias. Ibi videt flores vineæ, id est fructus, et flores malorum puniceorum, id est præmia fidelium et donorum, quæ dabuntur bene operantibus, et mercedem, quæ recompenſabitur

martyribus. Ibi dabit Ecclesia Christo sua ubera, quia doctores utriusque legis representabit in eterna gloria.»

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo visitat Ecclesias et visitabit eas in fine mundi, ut fructus virtutum proferant: «*Floret vinea*, id est Ecclesia, ait Guilielmus, in inchoantibus: *flores ejus fructus parturiant* in proficientibus. Virgo vero est utrumque videre, id est approbare in beneplacito tuo, sed multo magis *flores malorum punctorum*, id est decus et devotionem martyrum propter te proprio cruore rubentium. *Ibi dabo tibi ubera mea*, id est, in Ecclesia gentium dabo tibi, quae et in Ecclesia Judaeorum olim tibi dedi, ubera mea. Vere apud Judeos; dedi tibi ubera corporalia ad pascendum te: porro in Ecclesia gentium dabo tibi ubera mea spiritualia ad pascendos tuos: spiritualiter enim pascam parvulos tuos lacte materno pietatis; olim pavi lacte corporali pro veritate carnis. Denique pro eo quod tibi sum mater corporalis, ero tibi mater spiritualis, materna charitate quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis, materna ibidem cura nutriens eos, donec usque in virum perfectum grandescas in eis. Totum autem hoc faciam, eos tibi assidue commendando, et augmenta gratiarum eis piis a te precibus impetrando.»

VERS. 13. MANDRAGORAE DEDERUNT ODOREM. IN PORTIS NOSTRIS OMNIA POMA: NOVA ET VETERA, DILECTE MI, SERVAVI TIBI.

MANDRAGORAE DEDERUNT ODOREM. IN PORTIS NOSTRIS OMNIA POMA (Septuaginta, *unces*; Philo, *fructifera arbustula*; Hebraice est מִגְדָּאִים *megadim*, id est *delicias*, amabilia, delicta, quia sunt poma elegantia): NOVA ET VETERA, DILECTE MI, SERVAVI TIBI. — Hebraea, *abscondi tibi*: ita Aquila et Symmachus. *Ts en portis* multi referunt ad mandragoras, melius alii ad poma, quae sequuntur; unde Arabibus, *omnes fructus arborum stantes ad januas nostras*.

Pro *mandragorae*, ut verit Noster, Septuaginta, Aquila, Chaldaeus, Aben-Ezra, Vatablus, Pagninus et alii, hebraice est מִגְדָּאִים *megadim*, quae vox alludit ad *domum* et *dadaim*, id est *ubera*, quia *mandragorae* speciem habent uberum: quare perperam *dadaim* Sextus Senensis, lib. V *Bibloth.* cap. cix, verit *lilia*; R. Salomon, *jesemiam*; alii, *ferox*; alii, *violam*: Oleaster in *Genes.* xxx, 14, *creset* esse flosculum, qui vocatur *libum convallium*. Alludit hic ad Rachelem, quae a Lia accipiens *mandragoras*, quas in agro invenerat ejus filius Ruben, concessit ei maritum Jacob, *Genes.* xxx, 14: vide ibi dicta. Hinc *mandragoram* habere *vin* conciliandi amorem, ideoque *circum*

nuncupari docet Theophrastus, lib. IX *Histor. Plant.* cap. x; Plinius, lib. V, xiii; Dioscorides, lib. IV, cap. lxxi. Unde Hortolanus putat eas hebraice vocari *dadaim* a *domum*, id est *amores*, hinc et ait, *ibi dabo tibi ubera mea*, Pagninus, *amores meos*. Sic et poma symbolum sunt amoris, unde de iis ait: «*Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi*, » *g. d.* Quidquid pulchrum, quidquid deliciosum habeo, hoc totum tibi offero.

Porro pro *dilecte mi*, R. David et R. Anonymus apud Genebrardum vertunt, *amorem meum*; sic ergo transferunt, *omnia delicata poma nova et vetera, amorem meum servavi tibi*, *g. d.* Pro omnibus, vel cum omnibus deliciis et pomis, tam veteribus quam novis, amorem meum servavi tibi. Si pro *dedi* legas *dedit*, vel potius *daddi*, pro *amorem meum* vertas *ubera mea*, quasi ubera sponsae sint poma nova et vetera.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Mandragorae cum suis pomis in vere aspectu pulchrae et rarae sunt, olfactui odoratae, gustui insipidae, ait S. Augustinus, lib. xxii *Contra Faustum*, cap. xxxvi; sed in Judea, ut aiunt, sapidae, capiti saporiferae, vim habent refrigerandi, speciem quandam habent in radice corporis humani, deum capite; unde Pythagoras *mandragoram* vocabat *anthropomorphon*, id est homini similem: vide Dioscoridem, lib. IV, cap. lxxi, e Galenum, lib. VII *Simplic. medicam*. Mandragorae ergo significant turbam Judaeorum et gentium ejus caput fuerat Antichristus, quae eo mortuo, manebit *acephala*, id est *sine capite*, sed in peridia et peccatis suis sopita; haec ad vocem praedicatorum evigilabit, ac suavem fidei et pietatis odorem exhalabit. Sensus igitur est, *g. d.* Ea tibi, o Christe sponsae, *mandragorarum* odor, quarum frigus haecenus noxium, et odor gravis fuit, quae steriles ipse, et quasi expertes vitae mortis somno consopite jacuerant, humani denique busti potius, quam veri hominis effigiem praebebant, et praeter hanc mutilam speciem nihil hominis obinebant. Legimus illas, maturaverunt: statui tibi soli eas colligere, et vesi tecum: nihil vescere fructibus, quos tibi seposui in corde meo, et ad manum habeo omne genus fructuum horumum et amosorum, delictis tuis repositum asseravi. Haec in *portis*, id est in ipso domus ingressu et ipso aditu, in promptu et ad ovanum sunt. Ita Delrio per *nova* et *vetera* significat utriusque populi, scilicet gentium et Judaeorum bona opera; aut, ut Hortolanus, *mysteria* utriusque Testamenti Novi et Veteris, quae Christo, id est Christi fidelibus offeruntur, cum per portam baptismi in ejus civitatem puta Ecclesiam ingrediuntur.

Symbolice vero, ut Cassiodorus, Aponius, Beda, quod per Christum et in Christo omnia illa

impleta sint, et in dies implentur. Addit Theodoretus: «*Veteris*, inquit, Testamenti praeccepta et Novi Testamenti mandata, quae a matre mea Spiritus Sancti gratia accepi, servavi tibi, et depositum integrum custodivi.» Sic ait Christus, *Matth.* xiii, 52: «*Omnis scriba doctus in regno caelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.*» puta *mysteria*, *bona* et opera legis evangelicae et moesaica, uti explicant Patres: ita Aponius, Anselmus, Delrio haec accipiunt de Judaeis et gentibus convertendis in fine mundi. Audi Honorium: «*Sunamitis* (instar Ruben) de castris egressa invenit Mandragoram, regiam puellam sine capite in agro jacentem: cui nimium compassa et ad regem regressa obnix supplicat, ut secum eat, misere subveniat. Per *Mandragoram* intelligitur multitudo infidelium, cujus caput erat Antichristus, qui est caput omnium malorum; sed caput amputabitur, quando Antichristus occidetur; haec videns Ecclesia sine capite, optat eam sibi in fidem Christi sociari et capite Christo sublimari: o dilecte, inquit, quem praee omnibus diligo, qui ad me per gratiam venisti, et per praesentiam doctorum visitasti, veni etiam nunc per gratiam ad multitudinem infidelium, et visita eam per praesentiam charismatum, et per praedicatores *egrediamur in agrum mundi*, et spargamus per populos semen verbi Dei, tu inspirando, ego praedicando et operando, et docendo; diu *commoremur in vitiis*, in pagorum conventibus, *mane surgamus ad vineas*, hoc est mature faciamus Ecclesias.» Huc accedit Chaldaeus, qui haec accipit de Judaeis Messiam suum agnitoris, scilicet per Eliam in fine mundi: hos enim longo ignorantiae et perfidiae sopore, imo lethargo per tot saecula laborantes apposite representant *mandragorae*, quae soporem conciliant, ideoque dantur iis, qui secundi vel urendi sunt, ut dolorem non sentiant, teste Dioscoride, lib. IV, cap. 11. Sic ergo verit Chaldaeus: «*Et cum fuerit voluntas a facie Domini, ut redimat populum suum captivitate, dicitur Regi Messiae: Jam completus est finis captivitatis, et meritum justorum suave est coram me, sicut odor balsami, et sapientes generatio non constituiti in portis gymnasi operam dant verbis scribarum et verbis legis: nunc surge, suscipe regnum quod reposui tibi.*»

Alio proprietatem *mandragorarum* assignat S. Ambrosius in *Psalms.* cxvii, serm. 49, vers. 4, quod ubi sint mares, aliae feminae, et haec gravis sint odoris, sic Judaei et gentes etiam corporaliter fetent, sed fetorem istum aqua baptismi abluti deponunt, ut experientia constat. Audi S. Ambrosium: «*Plerique discerant quemdam inter mandragoras sexum, ut et mares putent esse et feminas, sed feminas gravis odoris. Significat ergo gentes, quae ante fetebant, cum essent infirmiores, evirata quadam imbecillitate perfidiae, boni odoris fructus ferre cepisse, postquam in*

adventum domini crederunt.» Denique *mandragorae*, quia frigus, torporem, tarditatem et somnum inducunt, notant tardos, negligentes et somnolentos: hi enim vulgari sermone dicuntur bibisse *mandragoram* vel *helleborum*; quare dum hi per gratiam Dei somnum excutiunt, dicuntur *mandragorae* quasi post somnum hylem in vere experrecte dedisse odorem suum. Apta ergo id hic tribuitur Judaeis et gentibus tarde et sero, puta in fine mundi convertendis: hi enim longas suae tarditatis et soporis moras abrumperent, et diligentiae ac fervoris suavam acremque dabunt odorem et fragrantiam; unde subdit: «*Omnia poma nova, et vetera servavi tibi*» *vetera* enim sunt veteres christiani, *nova* sunt novi, puta veteres Judaei per Eliam innovandi, et in fine mundi ad Christum convertendi. Denique nonnulli per *nova* opinantur hic notari novi orbis, puta Americae, ab Americo Vesputio et Christophoro Colombo inventionem, et conversionem ad Christum: novus enim hic orbis continens Peruanos, Mexicanos, Brasilios, Chilenses, etc., est dimidium totius orbis, ut patet ex globo cosmographico: quare ipse est *in portis*, id est in limilibus et finibus terrae olim cognite: nam plane ante annos 140 fuit incognitus, nec quidemquam de Christo eo usque audiverat; jam vero per religiosos S. Dominici, S. Francisci et Societatis *Jesu*, totus pene subiacet Ecclesiae: sic in India orientali hoc saeculo et praecedenti mire per eosdem propagatur fides apud Japonos, ubi plurimi pro fide certati usque ad martyria lentorum ignium, apud Sineses, Monachos, Caelanos. Sane Thomas Bozius, tom. I, signo 20, audeat asserere, unum Franciscum Xavierum plura apud Indos accumulasse Ecclesiae, quam Lutherus et totus Septentrio abstulerit. Aethiopia, sive amplum illud Praeto Joannis imperium cum suo imperatore et proceribus, per societatem Jesu subdidit se romane Ecclesiae, ab eaque patriarcham accepit anno Domini 1628.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Mandragora dat odorem, cum anima prius torpida, tarda, somnolenta per gratiam Dei evigilans, alacris et fervida bonam virtutum famam operando exhalat; unde S. Augustinus, lib. xxii *Contra Faustum*, cap. lvi, ait per *mandragorae odorem* representari bonam sanctorum famam. Eadem soporem inducit, cum anima terrorum obilita, iis quasi indormiens caelestia cogitat, meditatatur et ambit: ita Theodoretus. Eadem focunditatem conciliat, ait Cassiodorus et Rupertus, cum anima charitatis, patientiae, humilitatis, obedientiae, ceterarumque virtutum actionibus incubit. Eadem purgat melancholiam et pituitam, tollit nauseam, tristitias et dolores sopit, variis